

## Lectio XX. Zdania warunkowe

- a. **si** – jeśli, jeżeli, jeżeliby, jeśliby, gdyby;
- b. **nisi, ni, si minus** – jeśli nie, jeżeli nie, jeśliby nie, jeżeliby nie, gdyby nie;
- c. **sin** – jeśli zaś, jeżeli zaś

### Modus realis:

- Si id credis, erras.
- Romae, si licebit, manebo.
- Si te rogavero aliquid, non respondebis?

### Modus potentialis:

- Si Hannibalis proelia omnia describere studeam, dies me deficiat.
- Dies mihi defuerit, si omnia narrare studuerim.

### Modus irrealis:

- Longiorem epistulam ad te scriberem, si res verba multa desideraret.
- Si tacuisses, philosophus mansisses.

1. Si vis amari, ama.
2. Si virtutem amabis, omnes boni te amabunt.
3. Negare hoc nullo modo potes, **nisi** forte omnia negare constituisti.
4. Si Hannibalis proelia omnia describere studeam, dies me deficiat.
5. Longiorem epistulam ad te scriberem, si res verba multa desideraret.
6. Nisi totius diei labore milites defessi essent, omnes hostium copiae deleri potuissent.
7. Gauderem, si mihi accidisset.
  
8. Parvi sunt foris arma, nisi est consilium domi. (Cic.)
9. Medici, si omnes morbos curare possent, felicissimi essent hominum.
10. Si barba philosophum faceret, omnes barbati saperent.
11. O miserum te, si haec intellegis, miseriorem, si non intellegis!
12. Odero, si potero: si non, invitus amabo.
13. Nos, fortes viri, satis facere rei publicae videamur, si istius [Catilinae] furorem ac tela vitemus.
14. Haec quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiae portum contulissem.
15. Si aliquando oculi peccent, tamen, quia recte aliquando viderunt, inest in iis vis videndi.
16. Socrates, cum Xanthippa uxor eius flens exclamavisset: "Iniuste igitur de vita decedes?",  
"An tibi – respondit – gratius esset, si iuste de vita decederem?"

17. Solon aliquando inter convivium silebat. Cum a socio interrogatus esset: “Cur taces? Utrum tibi verba desunt, an stultitiam tuam silentio occultare studes?”, respondit: „Si stultus essem, num tacerem?”
18. Si pace frui volumus, bellum gerendum est, si bellum omitemus, pace numquam fruemur.
19. Hanc ego viam si aut asperam atque arduam aut plenam esse periculorum aut insidiarum negem, mentiar. (Cic.)
20. Quod si deficient vires, audacia certe  
laus erit; in magnis et voluisse sat est. (PROP. 2.10.5-6)
21. Agricola senex cum mortem sibi adpropinquare sentiret, filios convocavit, quos, ut fieri solet, interdum discordare sciebat, et fascem virgularum adferri iubet. Quibus adlatis filios hortabatur ut hanc fascem frangerent. Quod cum facere non possent, distribuit singulis singulas virgas, eisque celeriter fractis, docuit illos quam firma res esset concordia quamque imbecillis discordia.
22. Initio quarti ante Christum saeculi duo fuerunt nobiles pictores, alter Zeuxis, alter Parrhasius appellatus. Hi quondam certamen instituerunt de arte. Zeuxis uvas pinxit atque adeo exaequavit naturae veritatem ut aves ad picturam advolarent. Tum Parrhasius tabulam proposuit in qua linteum pinxerat. Quod cum Zeuxis videret, verum esse putavit linteum, quo pictura occultaretur. Itaque nihil agente Parrhasio flagitavit ut remoto tandem linteo ostenderet picturam. Ridens respondit ille, ipse moveret linteum. Tum Zeuxis cognito errore palmam dedit Parrhasio, quoniam ipse avis, ille artificem fefellisset.
23. Agitabat quidam equum et asinum onustos sarcinis. Asinus onere pressus rogavit equum ut aliqua oneris parte se levaret. Sed ille preces comitis repudiavit. Paulo post asinus languore consumptus in via conruit et efflavit animam. Agitator igitur omnibus quas asinus portaverat sarcinis equum oneravit. Tum ille deplorans fortunam suam, “Quam stulte” – inquit – “contempsi comitis preces; nam si illi obtemperavissem, parvulum haberem onus, nunc gravissimum porto coactus.”